

Classica Theologorum. Hæc possent in allegando singulari aliquo charactere vel notâ ad differentiam, tam apud Theologos quàm Jurisconsultos designari.

§. 85. De Repertoriis vidimus aliorum conatus, dicamus quid nobis videatur *de Locis communibus Juris instituentis*. De quorum videamus *Causa Efficiente, Modo causandi, Materia, Forma, Fine* seu Usu vel Effectu; differunt alioqui de *Locis Communibus* præclare *Bartholomæus Keckermannus*, sed maxime in ordine ad Politicam. *Causa Efficiens* esse debet Societas aliqua ex multis correspondentibus conflata, neque enim unius hominis opus est, quemadmodum igitur in Italia conspirant Academiae, seu Collegia Eruditorum, de quibus vide *Sachsum* in præfatione *Ampelographiæ*, & *Besoldum* in *diff. de Universitatibus, Corporibus, Academiis*: In Gallia celebre est Collegium illud nobile aliquantisper silens,
nunc